

**Dissertatio physiologica sistens theoriam vocis : quam publico iudicio
proposuit / auctor Carol. Frider. Salomo Liscovius.**

Contributors

Liskovius, Karl Friedrich Salomon.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Lipsiae : Apud Breitkopf et Härtel, 1814.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bafrrse2>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Store
HA 09560

L

FOR CONSERVATION ONLY



636-1887

Cc4-h.26

Book No

0161267




30114 001612673

re
005

Das hiesige Exemplar ist wohlhelfer
recepirt: in Götting. gel. Aug 1865 No. 198.
und 199. S. 1971. u. f. Eben so
in der Jen. Litt. z. 1816. Xbr. No. 221.
S. 366 u. f.

Store

HA 09560



DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

SISTENS

THEORIAM VOCIS

QUAM

PUBLICO JUDICIO PROPOSUIT

AUCTOR

CAROL. FRIDER. SALOMO LISCOVIUS

LIPSIENSIS MED. BACC.

LIPSIAE

APVD BREITKOPF ET HAERTEL.

1814.

nim cum nulla sint corpora, quae elasticitate careant omnino omni, nullis corporibus ista vibratio est omnis deneganda. Quare aër non solus, sed reliqua corpora omnia et fluida et solida, tam dura, quam mollia, vibrationem sonoram plus minus possunt exhibere. Imo sunt quaedam corpora, quae melius etiam, quam aër, vel sonum edere, vel editum tradere possint. Quid, quod sonum percipere possumus, aëre intercedente nullo, dummodo alia interveniant corpora, quae satis possint vibrari. Vacuus autem locus neque efficere sonum potest, neque transferre.

Si quod corpus per omnes ac singulas ipsius partes regulari et aequali modo vibratur, certum inde aures accipiunt sensum, qui nuncupatur sonus (Klang); sin autem motus est irregularis et inaequalis, ea inde oritur aurium perturbatio, quae strepitus nomine venit (Geräusche). Utrumque, et sonus et strepitus, generali nomine dicitur sonitus (Schall). Sonus, ubi ad acutiorem vel graviorem ejus rationem respicitur, tonus vocatur (Ton.)

Quae quidem acutior vel gravior sonorum ratio efficitur ab eo, quem corpora certis temporibus peragunt, vibrationum numero; qui quo major est, eo acutior inde oritur sonus, quo minor autem, eo gravior ille. Quare haec

sonorum gravitas contraria est vibrationum numero; inverso nempe inter se utuntur ordine, ita, ut dimidius vibrationum numerus duplicem proferat soni gravitatem.

Est autem haec corporum vibratio vel transversa, vel secundum longitudinem directa, vel denique arcuata. Tertia haec, quam Chladni primus detexit, rarius ac solummodo in baculis animadvertitur. Longe usitatiores autem sunt illae priores, transversa nempe et, quae fit in longitudinem. Transversa convenit quidem corporibus quibuscunque solidis, maxime tamen cernitur in chordis, ubi vibrationum numerus constituitur a varia chordarum et crassitudine et longitudine et vero etiam intentione, ita, ut caeteris paribus, eo acutior sit sonus, quo magis chorda est intensa, eo vero gravior, quo longior haec est atque crassior. Eae autem vibrationes sonorae, quae longitudinem sequuntur, a chordis quidem non sunt alienae, plerumque tamen in iis tantummodo sonis locum habent, quos aër progignit ipse ac solus, uti v. c. fieri solet in organis pneumaticis (Orgel). Qui quidem soni aërei duplici modo effici possunt. Aut enim aëris columna, tubo inclusa, vehementiori inflatu commouetur eum in modum, ut singulae ipsius partes alterna et regulari vicissitudine

inter utramque oram agitentur: quae aëris fluctuatio in omni tubarum atque tibiaram genere reperitur. Ibi vibrationum numerus respondit tum aëris elasticitati, tum iis, quae inflando adhibentur, viribus, tum vero maxime variae columnarum aërearum longitudini, ita, ut, caeteris paribus, sonum audieris eo graviorem, quo longior est aëris columna, eo vero acutiorem, quo major est aëris elasticitas, quoque fortius inflaveris. Crassitudo autem hoc loco nullius est momenti; neque varia tuborum materies ipsa quidquam valet ad soni quantitatem, eo magis autem ad ejus qualitatem. Nihil enim inde soni gravitas mutatur, sive crassior sive tenuior sit aëris columna; nec non eadem illa manebit, sive durior sive mollior sit tubi materies. Aut simplici modo efficiuntur soni aërei, si quid aëris per qualemcunque aperturam angustiolem fortiter ac subito propellitur, id, quod frequentissimum v. c. est in illo vocis genere, si quis ore exacuto et coarctato animam inducit vel emittit, quod vernacula dicimus pfeifen. Ibi sonorum modulatio posita est in foraminis magnitudine aërisque impetu, ita, ut sonum reddideris eo graviorem, quo major est apertura, quoque lentius aër effluit, eo vero acutiorem, quo minor illa est, quoque fortius aër prorumpit. Qualitas autem istorum sonorum

veria est pro variis cujusque foraminis marginibus. Quodsi latiores seu crassiores sunt margines, pleniorum efficient sonum, sin autem illi sunt angustiores, tenerior inde sonus evadet. Aequalior atque suavior erit in marginibus rotundis et glabris, quam in angularibus et asperis; alium habebunt molliores, alium duriores.

De hac physica sonorum doctrina legendi sunt:

Leonhard Euler act. acad. Petropol.; nov. comment. acad. Petropolit.; lettres à une princesse allemande; et tentam. novae theoriae musicae, Petrop. 1759.

Daniel Bernoulli in actis academiae Petropolitanae; Mém. de l'acad. de Berlin et Mém. de l'acad. de Paris.

La Grange Recherches sur le son in Miscellan. Taurinens. tom. I. et II.

I. H. Lambert, Mém. de l'acad. des sciences de Berlin.

Giordano Riccati delle corde ovvero fibre elastiche, Bologna 1767.

Maxime autem de hoc literarum genere meritus est Ernestus Florens Fridr.

Chladni in libro, qui inscribitur: Entdeckungen über die Theorie des Klanges, Leipzig 1787. et in illo recentiori, cui titulus est: Die Akustik, bearbeitet v. E. Fl. Fr. Chl. Leipz. 1802.

Cap. II.

Jam quaestio est, quodnam ex istis vibrationum generibus locum habeat in efficienda voce. Vocis definitionem si quaeris strictam et accuratam, sumenda haec est triplici sensu. Primum nempe distinguenda vox est ratione subjectiva, quae proxime spectat ad eum, unde venit, deinde ratione objectiva, quatenus est sua sibi res, ab illo ipsius auctore discernenda. Subjectivo respectu distinguenda porro est, tum, quoad fieri potest (der Möglichkeit nach), in quo consistit facultas edendae vocis, tum, quoad revera editur (der Wirklichkeit nach); haec est actio edendae vocis. Objecti nomine denique habenda vox est actionis et facultatis illius progenies (das Erzeugniss oder Produkt von jenen Beiden), quae cernitur in sonando ipso. Hoc sensu tertio et simplicissimo

vocis definitio est exhibenda, quippe cui actionis et facultatis notionem addere facile potes, cum alioquin tribus iisque diversis opus foret definitionibus. Itaque sub voce intelligendum esse censeo, quidquid sonorum a spiritu per laryngem transeunte efficitur. In qua quidem definitione nihil verborum temere et abundanter posuisse, neque ullam rem necessariam omisisse mihi videor. Non quilibet enim strepitus ad vocis definitionem est referendus, sed ipsis opus est sonis, utpote qui certam atque distinctam habeant gravitatis vel tenuitatis rationem (bestimmtes Verhältnis von Höhe oder Tiefe). Maxime autem necessarius ad vocem vere hoc nomine dignam est spiritus, aër nempe pulmonibus attractus; eo enim deficiente, vox nulla existere potest, ita, ut gravissimum verae vocis criterium hoc sit habendum. Cum vero spiritus ex labiis aliisque oris partibus adeoque ex instrumentis musicis sonos elicere possit veros quidem, attamen ad vocem nequaquam pertinentes, distinguendi sunt ii sonorum, qui efficiuntur ab illo per ipsum laryngem transeunte; qui quidem soli hoc vocis nomine sunt insigniendi. Caeterum non expirando solum, sed etiam inspirando vocem potes proferre. Quem utrumque modum complexus sum vocabulo transeundi. Quae

cum ita sint, recte vocem ita definisse mihi videor, ut intelligendum sub ea sit, quidquid sonorum a spiritu per laryngem transeunte efficitur. Proinde ea tantummodo animalia, quae pulmonibus respirant, vocem habere possunt. Huc pertinent tres classes priores, mammalia nimirum, aves et amphibia. Quae cum ab hac parte adeo inter se differant, ut nequeant comprehendi una, singula erunt pertractanda, ita, ut primum de hominis ac deinceps de reliquorum animalium voce agatur.

Quod attinet ad anatomicam partium hominis vocalium descriptionem, haec ita jam trita est, ut inutile foret, eam repetere. Quare hac omissa, transeamus statim ad physiologicam vocis humanae doctrinam. De hac re una fere exstat physiologorum sententia, cujus auctor est Antonius Ferrein, qui in actis academiae Parisiensis (Mém. de l'acad. des sciences de Paris) 1741. pag. 409. ligamenta glottidis sive thyreoarytaenoidea inferiora habenda esse statuit pro chordis, quarum major vel minor intentio vocis modulationem efficiat. Accedit Henr. Josephus Bern. Montagnat, qui illum commentatus est in libro, quem edidit hocce titulo: Eclaircissement sur la decouverte que M. Ferrein a faite du mechanisme de la voix de l'hom-

me. 1746. Hunc secuti sunt omnes istius aevi physiologi, in quibus laudandi potissimum sunt:

Rud. Aug. Vogel de larynge humano et vocis formatione. Erf. 1747. 4. In opusc. Goett. 1768. 4.

Joh. Georg Runge de voce ejusque organis. Lugd. Bat. 1755. 4.

Jan. Marc. Busch de mechanismo organi vocis hujusque functione. Groening. 1770. 4.

Nec non Caldani vocis humanae instrumentum cum chordis vult esse comparandum. Hanc eandem sententiam ipse Hallerus atque deinceps recentissimi physiologiae auctores fere omnes adsciverunt. Mirandum vero est, hanc sententiam tamdiu atque tot tantisque viris esse approbatam, quae, siquidem paullo diligentius disquiritur, approbanda neutiquam esse videtur. Tanta ejus est infirmitas atque vanitas; id, quod pluribus argumentis jam est demonstrandum.


I. Quicumque aliquam habet cantandi cognitionem vel levissimam, is haud ignorabit, duas nostrae vocis modificationes esse distinguendas, quarum una, quae pleniori aëris havstu atque ex imo pectore exorta videtur,

plena vox dicitur sive pectoralis (Volle Stimme, Bruststimme). Altera vero, quae tenerior est, quam illa, quaeque ad minorem gulae partem pertinere videtur, collaris vox inde nominatur seu fistularis (Halsstimme, Fistelstimme, Falsetstimme, Ital. Falsetto, Francogall. Fauset). Tertia quidem a nonnullis musices magistris statuitur nasalis sive cephalica. Haec autem nulla est, nisi mala cantorum consuetudo, qui vocem ore solummodo exhalant, naribus perperam praecclusis*). Illae vero, pectoralis nempe atque collaris quae dicuntur, vere diversas exhibent species, tum quoad varium utriusque ortum, tum quoad sonandi diversitatem, tum denique quoad eam, quam quaeque occupat, tonorum regionem. Pectoralis nimirum graviores, collaris autem acutiores sibi vindicat. Attamen interpositi quidam sunt intermedii utrique communes, quos tum pectorali tum collari voce efferre licet. Utique vero et canentis sensu ipsius et vero etiam aliorum auribus varia in utraque propugnanda laryngis operatio variaque

*) Vulgo quidem naribus hanc vocem dicunt prodire. At vere res est contraria. Rectius enim vox mittenda est ore naribusque simul. Nasalis autem ista hoc ipsum in se habet vitii, quod non naribus, sed ore tantum profertur.

sonandi modificatio satis superque intelligitur. Jam vero nescio qui factum sit, ut hanc rem nemo unquam physiologorum animadverteret eamque explicare studeret. Quod si quis voluisset, facile simul perspexisset errorem istius sententiae, quippe quae cum illa re conciliari nullo modo potest; namque illa explicandi ratio omnem omnino hujusmodi differentiam excludit.

II. Quamquam negari non potest, externos laryngis parietes in acutioribus sonis attonari atque constringi, gravioribus autem demitti et relaxari, ligamenta tamen glottidis ipsa e contrario extenduntur gravioribus, acutioribus remittuntur. Tantum enim inter omnes constat, glottidem gravioribus sonis amplificari, ejusque ligamenta dimoveri. Jam vero, si qua apertura, materiae integra incolumisque, amplificatur, ejus margines necessario extendi, est consentaneum. Atqui cum glottidis margines constituentur ipsius ligamentis, amplificari illa non potest sine extentione ligamentorum. Quod si quis velit in dubium vocare, ei satisfiat ampliori hacce demonstratione mathematica. Si nempe summum, quem \bar{c} quis possit exigere, sonum ponamus esse \bar{c} , ibi, glottide quam maxime coarctata atque constricta, ligamentorum diametri (AB vid. Fig. infra delineata), proxi-



mae sibi invicem et parallelae, viam ab anterioribus (C) ad posteriora (D) sequuntur rectissimam. Sin autem ad proferendos sonos inferiores, verbi causa c, glottis amplificatur, postici ligamentorum fines (BB) musculis cricoarytaenoideis posticis et lateralibus extrorsum diducuntur, ita, ut diametri ex collateralis linea (AB) transferantur in diagonalem (AE), quae a fixo insertionis anticae loco (A) oblique recedit. Cum vero quaevis linea diagonalis major esse debeat, quam ipsius collateralis, inde necessario sequitur, illam glottidis mutationem fieri non posse, quin ejus ligamenta eo simul magis magisque extendantur. In acutioribus sonis contrarium reperitur. Quae cum ita sint, luculentissime inde apparet, glottidis ligamenta gravioribus sonis extendi, acutioribus relaxari. Quomodo vero hoc vis congruere cum primaria illa chordarum lege, quae e contrario acutioribus sonis has vult extendi, gravioribus remitti. Videmus jam, adeo

haec inter se discrepare sibi que invicem repugnare, ut omnis eo tollatur istius sententiae probabilitas.

III. Chordis non nisi aridis inesse sonandi facultatem, madidas autem ea destitui, usus reapse experiundo docet, ita, ut, quo sicciores sunt, eo clariorem habeant sonum, quo humidiores autem, eo magis illo deficiant. Cum vero glottidis ligamenta nunquam non humore animali sint obducti atque adeo imbuti, propterea jam vehementer est dubitandum, quin chordarum modo vocem edere possint,

IV. Non nisi duriores corporum animalium partes ad sonos vel eliciendos vel propagandos aptas esse, experimenta de hac re iterum iterumque instituta docuerunt. In mollioribus autem quibusvis, quid, quod in cartilagineis ipsis, ut sunt cartilaginee nasales, nullam sonandi facultatem reperierunt. Vid. Perolle Journ. de physique Nov. 1785. Lichtenbergs Magazin f. d. Neueste aus der Physik u. Naturgesch. 2. B. 3. St, S. 47. Köllner in Reil's Arch. f. d. Physiol. 4. B. 1. H. Chladni Akustik §. 240. Quare hoc idem de glottidis ligamentis valebit.

V. Fac autem nihilominus, ligamentis illis inesse sonandi vim. Putasne, hanc illa membrana, qua circumcirca involvuntur,

omnem opprimi atque exstingui? Vulgo enim notissimum est, nullum esse chordarum sonitum, nisi quae ab omni parte sunt liberissimae. Si qua autem res vel levissima eas attingit, sonos eo vel infringitur vel omnis deletur. Immo si quis instrumento musico, v. c. tympanis, psalterio, barbita aliisque fortissime sonantibus silentium subito vult imponere, hoc statim ac facillime efficitur manu aut alia re quacunq̄ue allata.

VI. Ligamenta glottidis longe minora sunt, quam ut hanc vocis vehementiam possint proferre. Si quis enim aliarum chordarum magnitudinem cum iis, quas quaeque habet, sonandi viribus comparaverit, ligamentorum illorum parvitatem vocis nostrae vigori haud respondere, intelliget.

VII. Huc accedit, quod aëris non ea est in chordis commovendis potestas ac violentia, ut fortissimum hunc sonitum valeat inde provocare; id, quod maxime cernitur in illo instrumento, quod dicunt Aeoli psalterium, ubi, vel atrocissima procella saeviente, nunquam tamen tantae voces, quanta nostra est, sed longe mitiores atque leniores audiuntur, quamquam anima, quae vocem hanc nostram efficit, et si quam maxime intenditur, cum illa tamen non est comparanda.

VIII. In tantilla chordarum magnitudine, quam ligamenta glottidis habent, non potest esse tanta sonorum multitudo (Umfang der Stimme), quae voce nostra continetur, quippe quae in plerisque hominibus complectitur duo vel tria diapason (Oktaven); quid quod in nonnullis hunc ipsum numerum excedit, atque praeterea in mirandam usque toni gravitatem nonnunquam descendit. Quanta autem chordarum magnitudo requiritur ad tantam sonorum multitudinem explendam, quanta opus est ad tantam gravitatem? Quare haec ligamentorum glottidis exiguitas cum a tanta sonorum varietate omnino, tum vero maxime a tanta gravitate abhorret.

IX. Ligamentorum glottidis non esse tantam extentionem, quanta fidibus necessaria est, ex ipsa illorum figura intelligitur, quippe quae nunquam non reperitur falcatiformis, ita, ut posterior ejus pars sit geniculata. (Vide figuram pag. 12. adjectam). Haec vera et constantissima est ligamentorum thyreoarytaenoideorum inferiorum figura, quamquam in anatomiae compendiis describi solet aequa et simplicissima. Quodsi ligamenta glottidis sicut chordarum modum solerent extendi, falcata haec eorum figura haud diu persisteret; fieri enim non posset, quin tam

magna tamque frequenti extentione brev
tempore prorsus exaequaretur.

X. Denique musculi ligamentorum glottidis tam pauci tamque exigui sunt, ut tantam vim, quae in fidibus distorquendis vertitur, ligamentis illis extendendis adhibere neutiquam possint. Sane quidem a majoribus laryngis pharyngisque musculis in eo nonnihil adjuvantur, attamen summa totius rei peragenda ipsis relinquatur solis, nimirum cricoarytaenoideis et cricothyreoideis posticis. Num vero hisce tantillis musculi tantum virium attribuendum esse putas quantum longe majoribus, v. c. temporali-
bus et masseteribus, vix inesse, cognovimus. Plura enim centena librarum opus fuerint si quam chordam ab hac vocis nostrae gravitate usque ad tantam ejusdem tenuitatem extendere velis.

Quamquam plura mihi superessent argumenta idem testantia, haec tamen jam sufficientiant ad veterem illam de voce oriundam sententiam reprobendam. His enim satius superque demonstrasse mihi videor, fieri non posse, ut glottidis ligamenta chordarum modo vibrantia vocem animalem progignant

Chladni, sententia ista relicta, hanc ei substituit, ut vocis originem non in ligamentorum ipsorum, sed potius earum, quibus illa involvuntur, membranarum oscillationibus ponendam esse velit*). Itaque non ad chordarum, sed ad tympanorum modum vocem fieri arbitratur. Quae quidem sententia, cum ab illa parum tantummodo differat, consimilem quoque cum illa habet difficultatem, id, quod ipse optime sensisse videtur. Eodem enim loco dissertis verbis confitetur, difficillimum esse intellectu, quomodo, glottidis apertura tam parum immutata, tanta effici possit sonorum varietas.

*) In libro, qui inscribitur: Die Akustik bearbeit. v. Chladni 1802. §. 68. haec ipsius sunt verba: Ist die Stimmritze weit genug, so zieht die Luft, wie bei dem gewöhnl. Athmen, still hindurch; wird sie aber verengert, so reibt sich die aus den Lungen durch die Luftröhre ausgehende Luft bei ihrer Durchpressung durch diese beiden Membranen an dieselben, und setzt sie dadurch in eine schnelle zitternde Bewegung, welche der ausgehenden Luft mitgetheilt wird. Jemehr die Stimmritze verengert wird, wobei zugleich die Kehlbänder mehr gespannt werden, desto höher wird der Ton. Es ist übrigens fast ungreiflich, wie viele Veränderungen des Tons bei einer so geringen Veränderung der Weite dieser Oeffnung, welche höchstens etwa $\frac{1}{10}$ Zoll beträgt, können Statt finden.

Cuvier (Leçons d'anatomie comparée. Tome IV. XXVIII. leçon, article II.) vocem animalium mammalium fieri putat ad modum tubarum, ita, ut omne faucium orisque spatium referat tubae canallem, cujus longitudine constituentur toni fundamentales. Proinde glottidem ipsam comparandam esse censet cum tubae epistomio (Mundstück), cujus amplitudine suppleantur toni harmonici. At quam parum haec sint verisimilia, ipse jam confitetur, ubi ait: „Il y a cependant encore de l'embarras dans cette explication, parce que les voix justes exécutent tous les tons compris dans les limites de leur étendue en haut et en bas, et que ces tons ne sont cependant pas tous des harmoniques des tons fondamentaux: d'ailleurs, il faudroit, qu'en chantant ainsi la gamme montante, le larynx descendît de tems en tems, et l'on observe qu'il monte toujours.“ His duobus ipsius argumentis haud levissimis alia ego addam longe graviora: Primum nempe calculo mathematico demonstrare licet, longitudinem istius canallicis, qui a glottide usque ad labia porrigitur, nequaquam sufficere ad tantam vocis gravitatem. Deinde, qualemcunque exhibeas labiorum figuram, tonus tamen inde nequidquam mutatur, quod maxime necessarium foret, si quidem revera oris fauciumque ca-

vum, tanquam tubae canalis, tonum efficeret; ibi enim exitus pro varia ipsius amplitudine et prout vel prolongatur vel retrahitur, permultum potest ad sonorum gravitatem vel augendam vel minuendam. Denique jam amplitudinis ratio, quae glottidem inter atque fauces intercedit, istum sonandi modum admittere nequit. Est enim haec tubarum similiumque instrumentorum lex primaria, ut, quotiescunque aër per locum angustum agitatus devenit in canalem continuum eumque non ita multo largiorem, ad hujus longitudinem tonus accommodetur; sin autem aër per angustiam efflatur in locum multo ampliorem, non hujus longitudine, verum solummodo angustiae magnitudine tonus existit. Jam vero, cum oris fauciumque cavum sit glottide tanto latius, illa istius sententia verisimilitudine destituitur omni.

Burdach, vir et ingenio et doctrina praestantissimus, in explicanda voce (Die Physiol. bearb. v. Burdach. Leipz. 1810. 3. Th. 1. Sekz. §. 511—513.) ipse sibi repugnat, cum vocem ejusque modulationem ligamentis quidem thyreoarytaenoideis inferioribus ad modum chordarum intendendis et vibrandis attribuens, eandem tamen vocem comparandam esse velit cum tibiis

(mit Blasinstrumenten). Praeterea utrumque vocis explicandae modum supra jam satis reprobasse mihi videor. Caeterum in eo vehementer errat, quod sonos tiliarum ideoque et vocis ipsius eo acutiores esse ait, quo angustior sit aëris columna, quoque facilior parietum contractio. Qualiscunque enim sit tiliarum materies, nihil facit ad moderandam sonorum gravitatem. Neque haec eo quidquam mutatur, sive crassior sive tenuior sit aëris columna. Etsi qua tibia duplo vel decuplo amplior sit, quam altera, soni tamen gravitatem, dummodo sint pares reliquae conditiones, utraque habebit eandem. Quae quidem res, quamquam primo adpectu miranda esse videtur, certissima tamen est usuque ipso comperta. Nec non equidem ipse, cum, quo certior ejus rei fierem, varia ejusmodi instrumenta paranda curassem, his idem sum iterum iterumque expertus.

Cap. III.

Quae cum ita sint, longe alia esse debet vocis natura. Quam quidem rectius exponere ac demonstrare hisce institui.

Nimirum supra jam monitum est, esse quoddam sonorum genus, quod ita existat, ut aër per ullam aliquam angustiam majori cum vi ac celeritate transire cogatur; quemadmodum verbi causa labiis exacutis et coarctatis quotidie fieri solet. Simul quoque primaria hujus generis principia ibidem enumerata leguntur.

Hoc vero eodem modo vocem nostram effici ipsam, persuasissimum jam dudum habebam, tum, quia res aliter cogitari non potest, tum vero etiam, quia sententia haec ipsa adeo probabilis ab omni parte atque consentanea est, adeoque facile omnia inde explicantur, ut dubitationis nihil possit restare.

Cum vero nostris opinionibus natura non semper respondeat, ego, quo rei certior fierem, in opinionis meae commentis haud acquievi, sed operam dedi, ut, quae mente excogitaveram, ea naturae ipsius judicio confirmarem; id, quod ex sententia sane felicissimoque eventu mihi contigit.

En tibi experimenta, quae ad disquirendam vocis naturam in pluribus hominum laryngibus institui, nec non ea, quae hisce experimentis inveni.

I. Ligamentis thyreoarytaenoideis inferioribus vere attribuendam esse vocis efficiendae modulandaeque potestatem, expertus sum; quippe quae vocem variosque sonos ejus proferebant sola et sine ullo adjumento superiorum ligamentorum thyreoarytaenoideorum, quae ad hanc rem nullius erant momenti. Superioribus enim qualicumque modo tractatis, quid, quod penitus adeo excisis, inferiorum sonus nequidquam inde mutabatur. Non omnis quidem superioribus deest sonandi facultas. Si nempe, inferioribus maxime divaricatis, superiora compri-
mebantur, haecce sonos quosdam exhibebant. Hoc autem fieri nequit in homine vivo, ubi ligamenta thyreoarytaenoidea superiora et inferiora, propter musculorum communitatem, non contrario illo, verum aequali semper modo moventur; accedit, quod ligamenta thyreoarytaenoidea superiora, etsi quam maxime musculis suis contrahantur, magis tamen a se invicem distant, quam ut eam constituent viae angustiam, quae ad vocem progignendam requiritur. Quare vocis origo et modulatio omnis debetur inferioribus.

II. Quantacunque fuerit ligamentorum extensio, nihil faciebat ad sonorum gravitatem vel tenuitatem, nisi si glottidis magni-

tudo simul eo mutabatur. Ligamentis enim extentis, vox erat gravior, quia nempe glottis eo erat adaucta; istis vero relaxatis, vox erat acutior, quia glottis imminuta. Quae quantum repugnant legibus chordarum, ubi relaxando sonus fit gravior, intendendo acutior.

III. Cum glottidem ita inflarem, ut alterum ligamentorum admodum esset intentum, alterum vero simul perquam relaxatum, non duo inde exoriebantur soni diversi, quod, siquidem staret Ferrenii sententia, fieri necessario debebat, verum unus tantummodo poterat provocari, cujus gravitas respondebat glottidis amplitudini.

IV. Etsi digito ligamenta glottidis tetigi, ita quidem, ut glottidis amplitudo nihil mutaretur, idem perstitit sonus, cum, si chordarum leges ibi valerent, acutior eo evadere debuisset.

V. Ligamentis nimium exsiccatis vox erat nulla, denuo autem humectata promte ac facile sonabant, id, quod maxime reprobabat Ferrenium, in fidibus enim plane contrarium reperitur.

VI. Glottide minuta, licet ligamentorum intentio nihil mutaretur, sonus fiebat acutior; ista vero adaucta, quamvis eadem

ligamentorum intentione, gravior sonus reddebatur.

VII. Non solum a latitudine glottidis, verum a magnitudine omni omnino, nimirum a longitudine ejus atque latitudine simul tonus constituitur. Quodsi glottidis angulo vel anteriori vel posteriori digitum imposui, ita quidem, ut ne ligamenta ipsa tangerentur neque situs eorum vel intentio ullo modo mutaretur, sonus eo factus est acutior, quia nempe brevior glottis fuit ideoque omnino minor.

VIII. Nec non aëris varia moderatio ad modulandam vocem haud parum praestitit. Una enim eademque glottidis amplitudine et ligamentorum intentione, vox erat gravior, quo lenior aëris adspiratio, eo vero acutior, quo vehementior istius impulsus. Itaque crescente solummodo aëris vigore adscendere sensim sensimque vocem coëgi usque ad ipsum fere diapente (Quinte). Attamen stridula simul eo fiebat minusque jucunda.

IX. Duplicem effeci sonorum speciem, in quibus pectoralis vox atque collaris erat facile distinguenda. Si nempe glottis imminebatur ligamentis tantummodo contrahendis, non intendendis, vox erat pectoralis. Quo magis illa erant contracta, eo acutior

sonus. Infimi quidem sonorum fiebant glottide per omnem ipsius longitudinem aperta. In ascendenda vero sonorum scala posticae ligamentorum partes magis quam anticae sibi appropinquarent, quid, quod tandem prorsus confluxere, ita, ut superiores sonorum pectoralium ab anteriori tantummodo glottidis parte efficerentur, posteriori penitus conclusa. Ita glottide quam maxime compressa sonus pectoralium omnium supremus exsistebat.

X. Sin autem antica ista glottidis pars magis imminuebatur ligamentis non solum contrahendis sed etiam extendendis, in rimulam conversa haec est perquam angustam et longiusculam, unde soni quidam prodire tenuiores atque teneriores, nimirum vox haec erat collaris. Quo magis vero glottis ita imminuebatur, eo acutior sonus, usque dum omnis tantem glottis esset conclusa.

XI. In excitandis sonis pectoralibus tam acutioribus quam gravioribus ligamenta glottidis valde contremuerunt; quem quidem tremorem per omnem tracheam propagatum, manu allata, sentiebam. In collaribus vix quidquam ejus erat conspicuum. Etenim ubi pectoralis vox abit in collarem, tremor iste remittebat, idque non pedetentim, verum subito. Quid, quod ipsa epiglottis, vehemen-

tius afflata, eundem in modum contremuit, sono tamen exhibito nullo.

XII. Glottide nimis dilatata nihil plane vocis poterat excitari, sed, quantacunque esset aëris vis, quantacunque ligamentorum intentio, nil nisi halitus exhibat fuscus et sibilans.

XIII. Neque, glottide prorsus conclusa, quidquam vocis poterat prodire, id, quod facile fuerat expectandum, quia nullus aëris exitus.

XIV. Epiglottis, sive depressa erat, sive levata, sive omnis excissa, nihil faciebat ad sonorum modulationem.

XV. Neque tracheae amplitudo quidquam fecit ad vocem vel progignendam vel modulandam. Namque seu compressi tracheam, seu relaxavi, eadem perstitit vocis mobilitas eademque gravitas ejus et magnitudo.

XVI. Neque tracheae longitudinem ullius momenti ad hanc rem esse, inveni: quantumvis enim vel produxi eam vel corripui, perinde hoc fuit omnino. Etiam si, omni trachea detruncata, aërem adhibui ad glottidem ipsam, nihil inde ortum est discriminis.

XVII. Glandula thyreoidea utcunque commota vel compressa, nullam omnino per-

cepi vocis mutationem. Neque sperandum hoc esse, ex ejus situ perspexi. Etenim posita haec glandula est non ante cartilaginem thyreoideam, uti docent libri anatomici, verum infra hanc ipsam, immo etiam infra cricoideam, ita, ut superior ejus margo inferiori cartilaginis cricoideae sit affinis. Hunc ejus situm in omnibus, quotquot inquisivi, laryngibus inveni constantem. Quapropter ille ipsius cum cartilagine thyreoidea conflictus, quem nonnulli statuerunt, fieri nullo modo potest.

Caeterum haec experimenta non mecum solummodo in pluribus hominum laryngibus saepenumero exercitavi, sed coram aliis etiam iisque rei peritis repetii, qui verissima haec atque certissima esse attestabantur.

Quae quidem cum illis, quae de ea re antea judicaveram, satis conveniunt; ex istis enim experimentis luculentissime apparet, Ferrenii opinionem irritam esse et prorsus rejiciendam. Immo etiam contraria haec inde sequitur vocis theoria, quam, supra jam paucis adumbratam, nunc diductius sum traditurus.

Nimirum ligamenta glottidis seu thyreoarytaenoidea inferiora vere ac potissimum dicenda sunt vocis instrumenta, in his enim

summa totius rei vertitur. Quaecunque reliquarum corporis partium huc pertinent, secundario tantummodo munere in ea re funguntur; ista vero ligamenta proxime spectant ad progignendam modulandamque vocem ipsam. Neque tamen ad chordarum modum, uti Ferrenius auctor est, sed eo solummodo hoc praestant, quod glottidem ejusque variam amplitudinem consistuunt. Negari quidem non potest, ligamenta glottidis in efficienda voce, certe pectorali, ad chordarum fere modum contremiscere. Unde haud dubie factum est, ut Ferrenius et, qui eum secuti sunt, fidibus ligamenta glottidis comparanda esse putarent. Attamen hic ligamentorum tremor, quamvis arctissime cum voce cohaerens, non causa ejus est, sed effectus: nam a chordarum functione ligamenta glottidis longe abesse, experimenta ista declarant. Immo etiam docent, in glottide ipsa potius et varia ejus amplitudine positam esse vocis originem et modulationem. Quae quidem res ita se habet. Spiritus nempe, majori cum vi ac celeritate per hanc viae angustiam transiens, majorem in modum comprimitur et conquassatur, ita, ut omnes ac singulae ipsius moleculae ultro citroque commoveantur; unde haec aëris vibratio, qua sonus existit. Simile quid videmus et in aliis rebus, ubiquecunque aër per ullum aliquod spiraculum lae-

ve atque angustum agitur. Quo major est glottidis apertura, eo gravior sonus, quia majores ideoque tardiores etiam eo fiunt aëris undae; contra, quo magis illa coarctatur, eo acutior sonus, quia minor atque celerior aëris undulatio. Itaque contrahenda glottide vocem reddimus acutiorem, dilatanda graviorem. Nonnihil vero etiam in ea re valet varia spiritus moderatio; hujus enim vi adaucta, sonus fit acutior, quia celerior aëris oscillatio, spiritu autem remisso gravior sonus evadit, quia lentior oscillatio. Unde venit, ut summos quosque sonos maximo impetu provocare et quasi extorquere, infimos vero lenissimo halitu edere soleamus. Haec de vocis modulatione in universum. Jam vero pectoralem vocem atque collarem spectemus singulatim.

Mirandum vehementer est, gravissimam hanc vocis differentiam adeo hucusque in physiologia esse neglectam; collaris enim vocis seu fistularis nemo unquam physiologorum ullam habuit rationem, quamquam haec vocis species ad canendum tanti momenti tamque necessaria est, ut quae inde abesse vix ac ne vix quidem postit*). Quare

*) Ab uno quidem Hallero commemoratam esse video, qui obiter atque levissime eam attingens in vitiis hu-

operae pretium esse duxi, hanc rem diligentius disquirere et explicare. praesertim cum jam diu hoc sit pium cantorum desiderium.

Quantum ex istis experimentis videre licet, omne vocis utriusque discrimen consistit in eo, quod pectoralis vox laxis efficitur ligamentis, collaris autem intentis, ita, ut pectoralium sonorum modulatio fiat ligamentis tantummodo vel contrahendis vel dimovendis, collarium autem, non solum ita tractandis, sed etiam simul magis minusve intendendis. Et quidem infimi sonorum pectoralium a tota glottide efferuntur. Quo magis autem sonorum scalam adscenderis, eo propius posticae ligamentorum partes conveniunt, usque dum tandem prorsus jungantur, ita, ut sonorum pectoralium superiores ab anteriore solummodo glottidis parte proferantur, posteriore omnino conclusa. Hanc enim falcata illa, quam supra jam laudavi, ligamentorum glottidis figura in se habet utilitatem, ut glottidis amplitudinem magis imminuere, eoque sonos efficere possis acutiores, quam si

manae vocis retulit nec ullam adjecit ipsius explanationem. At non in vitiis habendam, sed veram et legitimam vocis totius speciem eam esse, nemo negabit, qui vel mediocriter est canendi peritus.

ligamenta essent rectissima. Itaque ligamentis quam maxime contractis summus efficitur sonorum pectoralium omnium. Sed non extremus hic est glottidis imminuendae terminus, immo ulterius eam extenuare licet, ligamentis non solum contrahendis, sed etiam magis magisque extendendis; eo enim antica illa istius pars longior quidem fit, et vero etiam angustior, unde soni quidam oriuntur acutiores atque teneriores, qui fistulares nuncupantur sive collares. Qui quidem sunt eo acutiores, quo magis ligamenta contrahuntur simul atque intenduntur. Sunt vero soni quidam intermedii, qui et pectorali voce et collari possunt proferri, quia nimirum ea glottidis amplitudo, qua illi existunt, utroque modo fieri potest.

Jam vero quaestio est, unde miranda illa veniat vocis pectoralis atque collaris in sonando diversitas. Quantum enim haec ab illa, non gravitate tantum, sed etiam qualitate sonorum ipsa differt. Cujus quidem rei tres causae esse videntur, eaeque omnes inde oriundae, quod ligamenta glottidis in pectorali voce manent laxa, in collari autem extenduntur. Primum nempe pectorali voce tremor quidam excitatur ligamentorum glottidis, qui, omnem tracheam et bronchos corripiciens, inibi penitus atque distincte percipi solet, in

collari autem, propter ligamentorum extensionem, minus illud fieri potest, id, quod magni momenti ad hanc rem esse debet. Simul etiam hinc intelligitur, qui fiat, ut pectoralem vocem ex imo pectore, collarem vero ex aliqua colli parte solummodo prodeuntem sentire quisque sibi videatur. Deinde et hoc est respiciendum, quod in collari voce ligamenta glottidis per eandem ipsorum extensionem tenuiora sunt eoque acutiorem aëri offerunt marginem, quam in pectorali. Denique spectanda est varia glottidis figura, quippe quae in collari voce angustior non solum est, quam in pectorali, sed etiam tanto longior. Haec tria potissimum efficere videntur omnem illam vocis utriusque diversitatem; hinc enim venit, opinor, ut collaris vox majori sonorum claritate atque teneritate a pectorali differat*).

*) Dodart, quod hisce jam conscriptis, demum cognovi, sententiam quidem habuit huic meae similem. Is enim (Mém. de l'acad. de Paris 1700, 1706 et 1707.) vocem humanam ejusque modulationem a glottidis ipsius amplitudine oriundam esse voluit. Attamen primum iste non satis descendit in causam rei evolvendam atque explicandam; deinde, quod magni est momenti, duplicis illius sonorum generis, pectoralium nempe atque collarium, nullam habuit rationem; ac praeterea omnis ejus sententia apud physiologos parum hucusque valuit.

Ad mechanismum vocis quod attinet, is hujusmodi est. Omnis nempe vocis modulatio posita est in majore vel minore laryngis apertura, quae, quod jam dictum est, ad graviores sonos proferendos dilatatur, ad acutiores vero magis magisque constringitur, id, quod efficitur hoc modo. Primum quidem apertura laryngis amplior fit amplificato larynge ipso. Qua de causa musculi laryngis levatores, hyothyreoidei et stylohyoidei (qui quidem nonnisi conjuncti laryngem attollere possunt) remittuntur, depressores autem, sternohyoeideos puta et sternothyreoideos, intenduntur. Eo fit, ut omnis larynx detrahatur minusque comprimatur, ita, ut ejus cartilagine per vim suam elasticam a se invicem nonnihil recedant eoque cavitationem istius augeant. Simulque musculi sternothyreoidei atque cricothyreoidei, cartilaginem thyreoideam a cartilaginis cricoideae pariete postico removens, nonnihil conferunt ad cavitationem laryngis amplificandam.

In acutioribus contraria reperiuntur. Ibi nempe depressores relaxantur, levatores intenduntur, ita, ut, cartilaginibus eo compressis, omnis laryngis cavitas, ideoque necessario etiam ejus apertura coarctetur. Etenim hisce musculis laryngis canalis attollitur et

in longitudinem porrigitur. Quem quidem istorum musculorum effectum adjuvare solemus eo, quod in acutioribus sonis totum caput levamus et erigimus, sicuti in gravioribus e contrario demittimus illud atque deflectimus *). Jam vero quicumque canalis aut alveus mollis et elasticus, siquidem in longitudinem distenditur, eo ipso simul arctior fit atque angustior, sin autem relaxatur atque corripitur, brevior quidem fit, simul vero etiam in majorem inde discedit amplitudinem. Itaque motu laryngis totius jam ad modulandam vocem haud parum efficitur. Plurimum vero in ea re debetur ligamentis thyreoarytaenoideis inferioribus eorumque musculis ipsis. Quae quidem ligamenta contrahuntur musculis arytaenoideis obliquis et arytaenoideo transverso, cricoarytaenoideis lateralibus vero diducuntur. Haec modulatio est sonorum pectoralium. Ad collares vero parandos opus est simul ligamentorum extensio, quae fit musculis cricoarytaenoideis

*) Inde haud dubie factum est, ut sonorum acutiores germanice superiores, graviores autem dicantur inferiores. Quid, quod hanc ipsam ob causam notae sonorum acutiorum lineolis superioribus, graviorum vero ponuntur inferioribus. Haec nominis origo esse videtur.

posticis. In pectorali voce haec ligamentorum extensio fieri non potest, et quidem, ut opinor, propter musculorum antagonismum. Etenim in pectorali voce ligamenta glottidis magis a se invicem sunt remouenda, id, quod a musculis cricoarytaenoideis lateralibus potissimum perficitur. Jam vero his iisdem musculis ligamenta simul relaxantur, praesertim cum hi muscoli nonnisi una cum musculis thyreoarytaenoideis, quibuscum conjuncti sunt, isto suo munere perfungi posse videantur. Hinc illud discrimen inter pectoralem vocem atque collarem. Sunt vero sui cuique fines inter utramque vocem a natura terminati, quos excedere non licet, nisi longa et assidua exercitatione. Quid, quod collaris vox nonnullis hominibus fere omnis deest, idque haud dubie ex inertia et imbecillitate musculorum cricoarytaenoideorum posticorum, qui maxime huic officio sunt destinati.

In simplici respiratione, qualis esse solet in tranquillis atque silentibus, lenior atque lentior est aeris transitus, quam ut ea istius conquassatio, quae ad sonos provocandos requiritur, possit oriri; quemadmodum enim quaecunque tubarum, tibiaram atque cornuum genera nonnisi fortiori personant inflatu, ita quoque spiritus majori cum vi et celeritate per laryn-

gem transigendus est, ut ea ipsius fiat commotio, quae ad sonum eliciendum est necessaria. Aër, cum palatum, linguam, dentes et labia transit, istorum inflictu et mobilitate varium in modum articulatur. Ita existit literarum atque verborum fabricatio, quae efficit sermonem sive loquelam. Loquimur autem vel clara voce vel oppressa seu clandestina, prout aut lentam et simplicem respirationem aut sonantem eo adhibemus. In sermone vulgariis tantummodo quisque utitur sonis, qui sunt ipsi maxime opportuni, id est, qui fiunt larynge quieto, ita, ut ejus apertura neque augeatur, neque imminuatur magno-pere. In canendo vero varia est sonorum modulatio; modo enim ad infimam eorum gravitatem descendimus, modo adscendimus ad summam eorum tenuitatem, id, quod ita fieri solet, ut simul verborum adjungatur comitatus; tanta enim est musices cum poësi affinitas et necessitudo, ut mutuo sese invicem adjuvent atque sequantur. Est vero magna vocis humanae varietas atque adeo diversitas, ita, ut vix unquam duo homines pari voce reperiantur. Varia enim in variis hominibus est sonorum ubertas (Umfang), fortitudo, gravitas, varia quoque est eorum suavitas, velocitas et integritas (Reinheit). Primum quoad

vocis ubertatem, alii duo vel tria diapason (Oktaven), alii vero vix unum diapente (Quinte) habent in sua potestate. Nimirum spectanda in ea re est varia laryngis mobilitas (Nachgiebigkeit), sive innata, sive exercendo acquisita, quae quo major est, eo majorem in modum ille et amplificari potest et vero etiam constringi, eoque major est sonorum numerus atque diversitas. Quare juniores atque foeminae, quibus mollior est partium structura, majorem habere solent sonorum copiam, minorem masculi, senes vero propter rigidiorem corporis structuram ista magis magisque destituuntur, praesertim cum accedunt cartilagineum aliarumque partium mollium ossificationes. Fortitudo sive magnitudo vocis non tam a larynge ipso, quam potius a pectoris constitutione est oriunda. Si quis enim pectore gaudet magno atque robusto, is majorem aëris vim eo poterit adhibere, quam qui pectore est angusto et imbecilli. Quare summa vocis magnitudo est in hominibus athleticis et quadratis. Praeter pectus vero etiam oris, nasi fauciumque caverna permultum valet ad vocis vigorem. Etenim quo major illa est atque amplior, eo major esse debet vocis fortitudo, quia largior eo praebetur opportunitas resonandi. Monendum vero est, vocem acutam sive tenuem fortius plerumque

sonare, longiusque audiri, quam gravio-
rem, quia nempe haec majorem aëris vim atque
pectoris intensionem requirit, quam illa.
Differunt quoque homines majori minorive
vocis gravitate. Alii enim voce utuntur
tenuissima, alii gravissima, alii denique his
interpositi sunt medii. Ita factum est, ut
quatuor potissimum statuatur vocis huma-
nae varietates: vox summa (Diskant, Ital.
Canto o Soprano), altera (Alto), media (Te-
nore) atque infima (Basso). Ex his consti-
tuitur cantus quadrivocus, ut ita dicam, sive
quaternarius (der vierstimmige Gesang). Quae
quidem varietas sequitur ex varia laryngis
amplitude. Quo quis enim habet laryn-
gem ampliore, eo graviore utitur voce.
Hinc illud infimae vocis indicium, quod di-
cunt pomum Adami, ubi nempe cartilago
thyreoidea ob ipsius magnitudinem majorem
in modum prominet. Maximam hanc vocis
varietatem esse novimus pro varia aetate
varioque sexu; masculis enim et adultis,
propter majorem laryngis amplitudinem, gra-
vior vox esse solet, quam foeminis atque te-
nellis. Mirandus vero est vocis ejusque or-
ganorum cum partibus genitalibus consensus
in utroque sexu. His enim extensis, exten-
duntur simul quoque illa; quare rerum ve-
nerearum abusu vocis tenuitas deperditur. Ne-
que minus homines differunt vocis jucun-

ditate, cujus quidem conditio haec est, ut cuncta istius organa sint quam laevissima, ad fornicis rotunditatem aequam lenemque constructa, et singulae partes justam inter se habeant proportionem. Huc autem non solum laryngis, verum quoque omnis oris nariumque cavitas est referenda. His ita paratis efficitur ea vocis humanae suavitas, quam tecnico nomine dicunt metallicam. Neque eadem omnibus est vocis velocitas, qua nempe fit, ut celerrimi etiam sonorum modi promte expediteque decantentur. Quae quidem vocis praestantia consistit in majore laryngis agilitate, maxime quidem ejus musculorum. Unde venit, ut juniores atque foeminae prae caeteris ea excellere soleant. Etsi vero maximam partem posita haec est in nativa corporis indole, artis tamen studio majorem in modum est excolenda. Quod denique attinet ad vocis integritatem, aequam illam dico certamque canendi rationem, ubi justae sonorum dimensiones recte et accurate observantur. Quanta vero in ea re est hominum diversitas. Sunt enim, qui tantam habeant in sonis determinandis dexteritatem, ut ab eorum norma ne tantulum quidem discedant. Sunt vero alii, qui omnino nulla sonorum discrimina possint servare. Cujus rei duplex causa esse mihi videtur. Primum nempe opus est ea facul-

tate, quae nomine venit auditus musici (musikalisches Gehör). Noli autem putare, hunc auribus adscribendum esse solis, verum potius ad ipsius animi iudicium est referendus. Novi enim permultos homines, qui quamvis maxima aurium subtilitate praediti, musico tamen auditu careant omni omnino. Neque vero satis ille est ad vocis integritatem efficiendam, nisi accedit simul ea musculorum laryngis firmitas atque constantia, quae opus est ad sonos recte exhibendos atque tenendos. Sunt enim, qui animo quidem sonos accuratissime sciant distinguere, voce tamen exprimere nullo modo possint. Itaque nascitur haec vocis integritas, non discitur; attamen corrigi non nihil potest et emendari.

Reliquum est, ut videamus, si quid momenti positum sit in aëre exspirato ipso, quippe qui vere ad vocem proferendam adhibetur. Cum enim aër, quem exspiramus, ab aëre communi quam maxime differat, cumque varia aëris genera varium in se habeant sonandi modum, haec res negligenda neutiquam esse videtur.

Constat anima exhalata ex aëre azotico, carbonico multisque vaporibus aquosis. Quae quidem triplici respectu nobis, sunt consideranda:

I. Quoad variam sonorum gravitatem, qua ab aëre atmosphaerico differunt:

Aëris azotici sonum, qualicumque modo ille fuerit paratus, semitonio graviorem esse, quam aëris atmosphaerici, Chladni explorando invenit (Akustik §. 204.)

Sonus aëris carbonici, ex lcreta cum acido sulphurico parati, erat, ex ejusdem illius experimentis (l. l.) ditono (um eine grosse Terz) gravior quam aëris atmosphaerici.

II. Quoad celeritatem, qua sonus his aëris generibus oritur et propagatur.

Chladni de principio celeritatis sonorum in variis aëris generibus hancce ex suis experimentis concepit sententiam, ut non solum ex aëris elasticitate atque densitate, verum etiam ex chemica quadam qualitate occulta celeritatem istam oriundam esse, arbitretur.

Ex his iisdem illius experimentis celeritas aëris azotici ad admosphaericum aërem sese habet, tanquam 990 ad 1058; aëris carbonici autem, tanquam 840 ad 1058.

III. Quoad fortitudinem.

Variam sonorum in variis aëris generibus fortitudinem Priestley (Observ. et exper.

sur différentes branches de la physique Tom. III. pag. 355.) non a chemicis aëris principiis, verum a sola ejus densitate temperari, persuadet. Cui sententiae Chladni quoque assentitur (Akustik §. 205. V.)

In carbonico majorem, quam in communi aëre, esse sonorum claritatem, idem Priestley expertus est, ita, ut dimidia fere parte longius possint audiri.

Perolle contra (Mém. de l'acad. de Toulouse 1781. et Mém. de l'acad. de Turin 1786 — 1787.) in aëre carbonico, quem ex creta acidoque nitri diluto paraverat, sonum vult esse paullo graviorem magisque suppressum, quam in aëre communi, ita, ut minus procul exaudiretur.

Azoticum vero aërem neque Perolle neque Priestley disquisiverunt.

Primum igitur quoad variam sonorum gravitatem, haec experimenta docent, sonum in carbonico et azotico aëre graviorem esse, quam in atmosphaerico. Accedunt autem vapores illi aquosi, qui, quamquam nondum sunt ab hac parte explorati, majore tamen elasticitate sua gravitatem sonorum attenuare eosque acutiores reddere mihi videntur. Vapores enim eximia elasticitate excellere, quis est, quem fugiat? Jam vero

corporum elasticitas cum sonorum gravitate ita cohaeret, ut, quo major est illa, eo acutiores hi evadant. Quare haec inter se exaequantur atque tolluntur, ita, ut aër exspiratus ab atmosphaerico in hac re nihil differat, nec quidquam inde in rem nostram redundet.

Hoc ipsum quoque valet de celeritate. Cum enim vapores isti ob eandem suam elasticitatem eximiam celerius vibrari debeant, inde celeritati sonorum restituitur, quod aëre carbonico et azotico amittere videbantur *).

*) Benzenberg celeritatem aëris azotici et carbonici in gignendis propagandisque sonis denuo quidem nuper exploravit. At ejus inventa a prioribus illis adeo abhorrent, ut quae cum istis conciliari nequeant. Quae vero ego de celeritate et gravitate sonorum in vaporibus aquosis opinatus sum, ea hujus ejnsdem experimentis satis affirmantur. Vapores enim aquosi ter millesima sexcentesima quaque horae parte, calore glaciali (0° R.) 1030 pedes Par. personabant, cum in aëre atmosphaerico, eodem tempore eodemque calore, ad 1027. tantummodo pedes Par. sonus perveniret. Quod ad gravitatem sonorum attinet, sonos vaporis aquosi toto fere toni unius intervallo (fast um einen ganzen Ton) acutiores esse, quam aëris atmosphaerici, ille auctor est. Eadem enim fistula, siquidem inflata erat aëre vulgari, cecinit c, sin autem vapore aquoso, d — $\frac{1}{16}$ totius intervalli. Gilbert's Annal. d. Phys. n. F. 1812. 9. St. S. 12 — 36.

Quod denique ad fortitudinem seu magnitudinem sonorum attinet, haec magis est ambigua, quam ut veri quid inde possit concinnari. De carbonico enim auctores illi dissentiunt, de azotico vero nihil plane habemus compertum. Quare haec omnis res in medio est relinquenda.

Perlustrandae jam sunt caeterae corporis partes, quae ad vocem vel progignendam vel moderandam ullo aliquo modo referuntur.

Sinus narium frontales, ethmoidales, sphenoidales, et maxillares ad augendam vocis magnitudinem paratos esse, olim nonnulli putarunt. Qua de re provoco ad Frid. Hildebrandtium, qui (Lehrb. d. Anat. des Menschen 5. B. §. 1676.) argumentis locupletissimis istam sententiam reprobavit.

Oris, nasi fauciumque caverna non gravitatem quidem vel tenuitatem sonorum, uti Cuvier vult, sed potius eam constituit sonandi varietatem, quae Francogallis dicitur le timbre. Singularis enim haec et propria cujusque vocis indoles, qua fit, ut voce jam sola non modo varia animalium genera, sed etiam singulos homines discernere possis atque distinguere, cavitatibus il-

lis potissimum debetur, ita quidem, ut spectanda sit varia earum magnitudo, figura et superficierum ratio. Permultum enim interest, sive rotundior, sive magis compressa et angularis sit earum figura, neque minus interest, sive laevior sive asperior sit superficies, Ad magnitudinem denique referenda non solum est universa earum amplitudo, sed etiam ea, quam singulae partes inter se habent, proportio. De his vero paullo superius dictum jam est, ubi sermo erat de varia vocis jucunditate.

Epigottidis in ea re utilitas nonnisi est negativa, ut ita dicam, sive indirecta, quippe quae glottidem tuetur, ne quid rerum alienarum incidere ac vocem perturbare possit. Quod vero epiglottis, glottidem occludens, sonorum gravitatem moderari dicitur*), equidem non video. quomodo hoc fieri possit, cum, quotiescunque epiglottis reclinatur, eo ipso vox omnis cessare debeat atque silere; glottide enim occlusa, vox nulla potest prodire.

*) Die Physiologie bearb. v. K. Fr. Burdach Leipz. 1810. S. 674.: Der Kehldeckel schliesst die Stimmritze mehr oder weniger, und giebt dadurch dem Tone Höhe oder Tiefe.

Ligamenta thyreoarytaenoidea superiora nonnisi eo, quod ad ventriculos Morgagni constituendos pertinent, voci possunt prodesse.

Ventriculi Morgagni duplicem in adjuvanda voce habent utilitatem. Primum enim receptacula seu promptuaria quasi sunt muci ad partes istas laevigandas ibi depositi. Deinde vero etiam, quandoquidem ad repercutiendam vocem apti sunt et opportuni, hujus vigorem augent et extollunt, minus quidem in homine, quam in aliis quibusdam animalibus, quibus isti ventriculi sunt longe majores et ampliores, id, quod maxime cernitur in mugientibus.

Thorax cum trachea, pulmonibus et musculis quibuscunque vel ad inspirandum vel ad expirandum inservientibus follem quasi constituit, qui, sicuti in organis pneumaticis, excipiat aërem et ad vocem edendam propellat, ita quidem, ut magnitudo seu fortitudo vocis quam maxime respondeat illarum partium conditioni. Quo major enim est pectoris atque pulmonum capacitas, quoque praestantior musculorum efficacia, eo major esse debet aëris impulsus, praesertim si reliqua illorum valetudo bona satis est et incolumis. Quare fortior vox esse solet in hominibus, qui pectore latiori sunt et musculo.

Nervi vocales sive ii nervorum, qui ad potiora vocis instrumenta, laryngem, tracheam atque pulmones, pertinent, omnes, praeter paucos tantummodo surculos adventitios, ex uno eodemque fonte, nimirum ex nervo vago, proficiscuntur. Inde larynx habet nervum laryngeum superiorem et inferiorem sive recurrentem, trachea ramos quosdam ejusdem recurrentis, ad pulmones ex hoc ipso nervo vago deveniunt nervi pulmonales posteriores et n. pulm. anteriores, qui cum nervi recurrentis et plexus cardiaci filamentis connectuntur. Nec non diaphragma, quod ad respirationem ideoque ad vocem ipsam haud parum valet, praeter nervum phrenicum et nonnullos gangliorum coeliacorum, nervorum lumbarium et dorsalium ramos, percipit aliquot propagines ex plexu nervorum vagorum. Quae cum ita sint, miranda non est tanta nervorum vagorum in vocem potestas, cum fere soli hanc omnem provinciam teneant. Memorabile autem est illud experimentum, quod ad explorandam hanc rem saepenumero jam instituerunt. Nempe nervorum recurrentium alterutro vel compresso, vel devincto, vel interscisso, vox quidem manet, attamen ad dimidiam fere partem infracta; utroque autem ita tractato vox deletur omnis. Quod quidem Galenus jam, Vesalius atque tot alii

tam in homine, quam in bestiis iterum iterumque sunt experti. Cujus rei historiam atque literaturam uberius enarratam legere licet apud Hallerum in *elemen. physiol. corp. hum.* Tom. III. Lib. IX. Sect. I. §. XXIX.

Nolo silentio praeterire glandulam thyreoideam, quippe quae ad vocis utilitatem spectare a nonnullis putatur. Ballanti enim (*Comment. Bonon. VI. 1783.*), quia in avibus inferiori laryngi, utpote vero ac soli vocis instrumento, assidet, voci eam inservire, opinabatur. Quam quidem sententiam magis excoluit Jo. Chr. Andr. Meyer (*Dissert. de secundaria quadam glandulae thyreoideae utilitate. Frcf. ad Viadr. 1785.*) qui, siquidem musculis sternohyoideis et sternothyreoideis ad cartilaginem thyreoideam apprimitur, vocem inde temperari, sin autem suo ipsius musculo levatur, eo illam augeri, persuadet. Huic assentitur Schmidt-müller in epistola ad Soemmerringium de glandula thyreoidea. Neque deerant, qui hanc vocis cum glandula thyreoidea necessitudinem confirmare vellent ductibus excretoriis, quos in illa detexisse atque exinde ad laryngem usque et tracheam prosecuti esse sibi videbantur.

Attamen nescio an haec vera sit glandulae thyreoideae functio atque natura; nam-

que hæc glandala vix quidquam ad vocem valere mihi videtur. Primum enim, quod ad ductus istos attinet excretorios, de his magnopere est dubitandum, quippe qui, quamvis omni adhibita diligentia, nemini tamen unquam, praeter paucos tantummodo, appa-ruerunt, ita, ut a peritissimis anatomorum ipsis in dubium soleant vocari. Quod vero, ad cartilagineam thyreoideam appressa, vocem moderari dicitur, sumtum hoc est a chordis, ubi quidem, simulac ulla aliqua re attinguntur, sonorum vis vel mitigatur vel omnis restinguitur. Cum autem vox animalis non ad chordarum, verum potius ad tubarum leges referenda sit, ubi, quantumvis manibus pannisque involvantur aut compri-mantur, nulla tamen inde efficitur sonorum mutatio, fieri non potest, ut, glandula cum cartilagine thyreoidea compressa, vocis vel gravitas vel magnitudo inde ullo modo com-moveatur. Maxime autem isti sententiae re-pugnat ipse illarum partium situs. In omnibus enim, quotquot hac de causa inquisivi, cadaveribus, glandulam thyreoideam non ante cartilagineam thyreoideam, uti vulgo putatur, sed infra laryngis cartilagineas positam nunquam non inveni, ita, ut hæc ejus cum thyreoidea cartilagine compressio ne fieri quidem ullo modo possit. Denique glandulae thyreoideae in gignenda et moderanda voce

immunitas intelligitur jam ex ipsius glandulae morbis, ut sunt struma, tumores cystici, indurationes. His enim etsi vel maxime ingravescentibus, nullum tamen unquam inde ortum est vocis impedimentum, quod, si haec ab illa penderet, non posset non inde venire.

Quare praeferenda est sententia Meckelii, qui glandulam thyreoideam numerandam esse censet in iis corporis partibus, quae eo, quod hydrogenii atque carbonici abundantiam detrahunt, oxygenio majorem restituunt potestatem. (Fr. Meckels Abhandlungen aus der menschl. u. vergleich. Anat. u. Physiol.) Nec non, auctore Soemmerringio, eam simul utilitatem habere videtur, ut sanguinis carotidei aliquam partem in se excipiens, hujus impetum infringat atque a cerebro declinet.

Cap. IV.

Quae de hominis voce huc usque dicta sunt, ea caeteris quoque animalibus mammalibus maximam partem conveniunt. Pauca enim tantummodo ex his excipienda sunt, quae voce careant, v. c. myr-

mecophaga et manis. Reliqua mammalia fere omnia, si summam rei quaeris, eam laryngis structuram habent communem, ut ligamenti thyreoarytaenoideis utantur duplicibus, et superioribus et inferioribus. Sunt tamen quaedam bisulca, quibus superiora deficient, boves nimirum atque oves.

In universum mammalia bruta ad vocis usum adeo sunt inepta, ut parum tantummodo eam sciant mutare. Verum enimvero haec eorum inscitia non tam cernitur in laryngis structura ipsa, quam potius in animi facultatibus quaerenda esse videtur. Distinguendam autem in hoc animalium genere esse vocem pectoralem atque collarem, nemo negabit, qui vel leviter ad hanc rem attenderit. Collarem enim adhibere maxime solent ad flebiles et lamentabiles animi affectiones exprimendas, pectoralem autem ad indignationem, id, quod animadvertere potissimum licet in canibus. Caeterum nonnulla eorum praeter communem laryngis structuram suam sibi habent instrumentorum apparatus singularem, unde venit, ut tam varia in iis reperiatur vocis modificatio. Ita magna pars simiarum praeter ventriculos Morgagni saccum quendam in larynge habent membranaceum variae magnitudinis, qui aëris exspirati aliquam partem in se exci-

piens, vocem inde necessario moderatur. Haec ipsa causa esse videtur, unde animalia isto sacco membranaceo instructa vocem habeant debiliorem, quam pro ipsorum magnitudine et alacritate fuerit expectandum. Simia apella et s. capucina sacco carentes laryngem habent ita paratum, ut canalem referat sigmoideum et aequalem; unde clarior leniorque istorum animalium sonus. Vid. Cuvier Leçons d'anatomie comparée. Tome IV. XXVIII. leçon, article II. Equis et porcis, uti Fabricius ab Aquapendente P. III. cap. XII. jam tradidit, ventriculus in utroque laryngis latere est profundus, qui haud dubie ad eorum vocem est magni momenti. Haec de voce animalium mammalium.

In avibus res aliter sese habet. Ibi enim alia est partium vocalium structura et dispositio, alia quoque vocis ipsius origo. Sequendus autem hoc loco est Cuvier l. l. article I., qui, quamquam in explicanda mammalium voce minus placebat, huic tamen doctrinae de voce avium ita satisfecit, ut vix quidquam addi posse videatur. Aves fere omnes in structura partium vocalium a mammalibus eo potissimum discedunt, quod ligamenta thyreoarytaenoidea inferiora a superioribus longe distant. Superiora nempe in superiori, inferiora in inferiori tracheae

ostio sita sunt. Inde duo plerumque larynges avibus adscribuntur; at revera unus tantum est bibartitus.

Inferior larynx, ut hoc vulgari nomine utar, primarium vocis est instrumentum, id quod satis superque cognitum habemus atque compertum. Ad hanc enim rem explorandam experimenta Cuvier instituit acutissima remque satis testantia. Qui quidem, omni trachea infra superiorem laryngem persecta, vocem audiebat debiliorem quidem, caeterum vero nihil mutata. Superiori tracheae fragmento obturato vel prorsus adempto, nulla inde sentiebatur vocis mutatio. Immo ne peculiaris quidem ille vocis cujusque modus (timbre) inde quidquam movebatur. Hoc ipsum expertus est, superiori tracheae parte obturata et rostro firme constricto. Quid, quod, toto collo detruncato, soni, quos, antequam avis moriretur, edebat, languidiores quidem erant, caeteroquin vero iidem. Conf. Duverney in Hist. de l'acad. des sc. de Paris T. II. Girardi in Memorie della soc. Italiana. T. II. P. II. Ex his satis apparet, vocem volucrum ab inferiori potissimum larynge oriri.

Paratus est larynx inferior hoc modo: Construitur nempe a membrana quadam,

quae in inferiori tracheae orificio utrinque prominēt. Quod quidem orificium bifariam dividitur vel sepimento quodam osseo a postica parte ad anticam versus interposito, vel solummodo angulo, quo conveniunt bronchi. Constant vero bronchi non ex integris annulis, verum tantummodo arcubus osseis aut cartilagineis, qui ope musculorum varie possunt inflecti. Ea igitur bronchorum pars, qua se invicem spectant, membranosa est; quam membranam, latam plerumque et extantam, Cuvier appellat tympaniformem. Primus bronchorum arcus utpote qui est tracheae proximus, ad hujus normam solet esse inflexus, secundus autem vel tertius, ad majores circulos referendi, extrinsecus minus, quam ille, evehuntur, unde sequitur, ut promineant intus. Hoc ipso loco eminente interna tracheae membrana exhibet plicam, quae utrumque bronchorum orificium ex dimidia parte occludens, glottidem constituit inferiorem. Haec ope musculorum contrahi potest et dilatari. Duplex vero est musculorum laryngis ratio; aliis enim sunt peculiare laryngis musculi, aliis nulli sunt. In iis, quibus desunt peculiare laryngis musculi, glottidis status non nisi tracheae depressoribus levatoribusque mutatur. His enim utrisque una intentis trachea producitur, remissis corripitur. Jam vero hac producta membra-

nae istae simul distenduntur, ita, ut glottis amplior eo evadat; et sic vice versa. Itaque peculiares laryngis musculi levatoribus depressoribusque tracheae compensantur, nec non in iis avibus, qui peculiaribus carent, isti sunt multo longiores. Sunt vero ii larynges inferiores, qui peculiaribus musculis destituuntur, rursus dividendi in eos, quibus insunt ventriculi laterales, et in eos, quibus nihil est ejusmodi. Qui quidem ventriculi laterales aliis sunt membranacei, aliis ossei, aliis utriusque generis, iique variae magnitudinis. Reperiuntur autem solummodo in masculis, vocem efficientes pleniorum magisque fuscam; id, quod Cuvier instrumento quodam ad huuc ipsum usum invento expertus est. Caeterum in solo vulture papa laryngem inferiorem Cuvier desideravit.

Trachea volucrum hoc maxime habet insigne, quod annulis constat integerrimis. Hujus forma permultum valet ad variam sonorum modificationem. Etenim quaecunque avium tracheam habent cylindricam, sono utuntur lenissimo, qualis est in illo instrumento musico, quod apud nos flauta vocatur. Ubicunque autem trachea est coniformis, ita, ut ejus basis sursum spectet, ad tubarum similitudinem vox magis accedit.

Superior larynx ex duobus constat ossiculis, quae nequaquam extendi aut relaxari, verum tantummodo appropinquare sibi invicem possunt vel dimoveri. Nec quidquam inibi reperitur, quod possit vibrari, neque ulla ejus pars produci vel corripri, intendi vel remitti ullo modo potest. Quare a chordarum ratione vox volucrum quam maxime abhorret. Neque cartilaginis arytaenoideae vel thyreoideae, neque epiglottidis ullum in avibus exstat vestigium. Epiglottidis autem functio tradita est cartilagineis quibusdam tuberculis, quae in glottidis marginibus ita sunt parata, ut ne quid alimenterum deglutiendorum possit illabi*). Glottis vero ipsa, seu rimula, quae inter

*) De hac re egregie Fabricius ab Aquapendente P. III. cap. XII.: Aves carent epiglottide, quippe quae ob victus rationem haud necessaria, immo potius foret impedimento. Ob deficientem epiglottidem aves nullam super glottide cavitationem, sed glottidem in laryngis summitate ipsa habent positam, quia, si cavitas adesset, cibi deficiente epiglottide in hanc cavitationem irruere facile possent. Avium rimula (glottis) jure facta est cartilaginea et in superficie aspera, ne in transitu durorum seminum aut lapillorum aspero contactu glottis erodatur rimulaque labefactetur. Aves, quia epiglottide carent, glottidem, quotiescunque cibos capiunt, contrahendo arctissime claudunt, nequid incidens periculum iis afferat; quod Aristoteles jam monuit.

ossicula ista relinquitur, quaeque dilatari potest atque restringi, ab antica parte posticam versus ita descendit, ut retrorsum sursumque spectet. Omnis laryngis superioris functio vertitur in trachea plus minus occludenda vel aperiunda.

Rostrum volucrum ob longiorem ipsius fissuram ad canalem vocalem, utpote qui vocis gravitatem consistuat, referri nequit; sane vero ejus fornix caeteraque forma interna alicujus momenti est ad vocem resonandam articulandamque.

Quod vero attinet ad explicandam volucrum vocem ipsam, hanc Cuvier oriri arbitratur ad modum cornuum venaticorum, ita quidem, ut varia sonorum gravitas constituatur tum a varia intentione vel remissione inferioris laryngis, quem proinde cum cornuum epistomio vel tubicinis labiis comparandum esse censet, tum a tracheae longitudine aucta vel imminuta, tum denique a varia glottidis superioris amplitudine. Quae quo magis comprimatur, eo graviorem sonum evadere, prorsus autem occlusa, toto diapason (um eine ganze Oktave) istum descendere, docet, id, quod desumptum est a fistulis organicis (Orgelpfeifen), ubi eo gravior est sonus, quo magis orificium superius coar-

ctatur, hoc vero prorsus oblecto (in gedeckten Pfeifen) toto diapason demittitur ille.

Ad hunc modum Cuvier volucrum vocem vult esse explicandam. Quae quidem ejus sententia adeo ingeniosa est atque probabilis, ut, quod ad summam rei attinet, in dubium vocari vix ac ne vix quidem possit. Unum vero est, in quo magnopere errasse mihi videtur. Etenim fieri quidem potest, ut coarctata glottide superiori vox gravior reddatur. Quod vero glottide prorsus occlusa vocem, ad instar oblectarum fistularum organicarum, audiri putat diapason graviorem, hoc fieri nullo modo potest. Istis enim organicis fistulis oblectis foramen superest, laterale, glottide autem occlusa, nullus relinquatur aeris exitus. Jam vero in tubis fistulisque quibuslibet omnibus hoc habemus compertum, ut, siquidem foramina lateralia simul cum ostio extremo obturas omnia, sonus audiatur nullus, neque hoc est mirandum, quoniam aeris motus eo prohibetur, omnisque praecluditur via, qua possit ad aures usque pervenire. Quare hoc organorum pneumaticorum exemplum ad avium vocem explicandam transferri nequit.

Caeterum aves praeter hanc normam communem pro generis sexusque varietate

suam quaeque habent instrumentorum vocalium naturam propriam ac singularem, eamque aut mutua partium proportione tantummodo aut supervenientibus additamentis ipsis positam. Hinc tanta vocis differentia. Huc pertinet varia tracheae figura vel cylindrica vel coniformis, supra jam monita. Porro aves absonae in larynge superiori tubercula quaedam habent variae magnitudinis varique numeri, quae oscinibus desunt. In universum autem singularis ille cuiusque vocis modus (timbre), quantum novimus, in hoc animalium genere leges servat easdem, ac in tubis fistulisque musicis. Namque avium vox eo suavior eoque jucundior est, quo perfectiora sunt tria ista ipsorum vocis instrumenta, quoque magis ad suaviorum instrumentorum musicorum similitudinem accedunt.

Tertia et ultima jam animalium vocalium classis tractanda est ea, quae continet amphibia. De his pauca tantummodo erunt monenda, quippe quae ab hac parte adeo sunt imperfecta, ut transitum jam exhibeant ad eas animalium classes, quae voce carent omni omnino. Ligamentis quidem vocalibus instructa sunt amphibia quaecunque. At non omnia iis ad vocem proferendam uti sciunt. Serpentes enim sibilum quidem, non vocem edere possunt. Et in ipso

reptilium genere sunt, quae voce prorsus destituantur, v. c. testudines atque lacertae, ita, ut fere solum ranarum genus relinquatur, cui vox non sit deneganda. Caeterum in his quoque pro vario genere sexuque varia instrumentorum vocalium structura ideoque varia etiam vox ipsa reperitur.

Reliqua autem animalia, pisces nempe insecta et vermes sunt vocis nescia. Et si quid vocis mittere videntur, rudis tantummodo est strepitus, non pulmonibus, sed longe aliis instrumentis prolatus. Veram enim vocem, utpote quae cum illa ipsius definitione stricte conveniat, cum desint pulmones caeteraque instrumenta necessaria, efficere nullo modo possunt.

Conf. Blumenbach Handb. der vergl. Anatomie 15. Abschn., ubi simul habes plenam de comparativa laryngis anatomia literaturam.

Cap. V.

Quaecunque hactenus dicta sunt, pertinent ad explicandam vocis rationem physicam, psychicam vero etiam ejusdem naturam paullo diligentius disquirere fuerit haud importunum. Primum distinguendum sedulo est inter vocem ipsam atque loquelam. Sub voce intelligendum esse censo, quidquid sonorum a spiritu per laryngem transeunte efficitur. (Vide supra in eunte cap. II., ubi de vocis definitione exponitur uberius). Sermo autem sive loquela consistit in literis verbisque, his articulatis animi mentisque signis, rite pronunciandis; id, quod efficitur cum totius oris, tum singularum ejus partium, labiorum nempe, dentium, palati et linguae mobilitate atque conflictu. Ex his apparet, vocem atque loquelam adeo inter se differre, ut non perpetua necessitate cohaereant, verum sola sibi utraque existere possit. Nec non revera hoc saepenumero reperitur. Loquimur enim voce adhibita nulla, quotiescunque sermone utimur clandestino. Vocem autem sine sermone, id est, sine verbis posse proferri, quis est, qui dubitet? Utraque quidem, et

vox et loquela, data nobis a natura est, quo interiora sua quisque declarare cumque aliis communicare possit, ita tamen, ut sermone exprimendae potissimum sint mentis cogitationes, voce autem affectiones animi. Potest quidem et sermone, hoc est, verborum significatu, animi status exhiberi; ea enim ipsa est functio cujuscunque poëseos, maxime quidem lyricae. Attamen, ubicunque animi affectus exponitur verbis, fieri hoc potest nonnisi mediate, uti dicere solent, intercedente quadam mentis cogitatione seu reflexione, ut ita dicam. Vocis autem propior et liberior est ab animo ad animum transitus. Minus quidem haec rem habet cum mentis negotio, neque ullam istius cogitationem exprimere potest. Contra vero habenda vox est pro vera et propria animi interprete, quae in omni varietate linguarum atque nationum eadem usquequaque persistit*).

*) Suidas. Ἡ φωνὴ καθ' ὁρμὴν τινα τῆ ζωῆς γίνεται, καὶ πρὸς σημαίνει τι· διὸ καὶ μετὰ φαντασίας· διὸ καὶ οἱ τῶν ἀλόγων ψόφοι φωνάει· καὶ γὰρ ὁ κύων, ὀπηνίκα φαντασίαν ἔχει τῆ ἀλλοτρῆς, ἱλακτεῖ· ὅταν δὲ τῆ οἰκείας, σάινει· καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων ὡσαύτως σημαντικαὶ φωναὶ εἰσὶ τῶν ψυχικῶν δυνάμεων καὶ διαθέσεων· καὶ γὰρ τροφῆς ορεγόμενα, ἢ ἄλλῃ τινὸς, κέχρηται τῇ φωνῇ.

Hac ipsa de causa vocem ejusque modulationem, quippe quae ad animi tantum affectus exprimendos data est, cum pluribus animalibus habemus communem; loquendi autem facultas, quae sine ratione esse non potest, hominibus convenit solis. Instrumenta enim loquendi brutis neququam deesse, inde perspicitur, quod aves quaedam aliquam loquendi dexteritatem addiscere possunt, quamquam non mentis elocutio haec est libera et cogitata, verum tantummodo inanis quaedam atque temeraria vocabulorum paucorum imitatio.

Vocis autem cum animo necessitatem aequalitatemque in omni animalium genere adeo certam adeoque constantem esse videmus, ut, quo major cuique animalium est animi alacritas, eo magis etiam excelleat vocis vis atque mobilitas, id, quod maximo-pere cernitur in oscinibus quibusdam, luscinia nimirum aliisque. Quanta enim illius est vox, quanta canendi praestantia. Jam vero constat, acerrimum vehementissimumque esse istius animulum, ita, ut, testibus fide dignissimis, ex amoris desiderio vel ipsa canendi aemulatione nonnullae perierint. Contra vero, quo tardior, quoque hebetior cuique animalium est animi natura, eo deterior eoque minus perfecta solet esse vocis ratio,

ita, ut inferiores animalium classes voce sint omni omnino destitutae.

In eo autem loquela voce praestantior esse videtur, quod majorem illa in se habet exprimendi perspicuitatem atque claritatem. Verborum enim usu certius atque distinctius mentis animique sensum exprimere licet. Quid, quod suam quodque vocabulum significationem habet propriam ac definitam. Aliiter res sese habet in vocis usu. Etenim generales quidem quaecunque animi affectiones eo exprimi facillime possunt. Potes enim vario vocis motu declarare animi hilaritatem, tristitiam, odium, amorem, et quae hujusmodi sunt reliqua. Singulas autem istorum affectuum rationes voce sola distinguere nequis. Neque ullus est canendi modus, qui unam aliquam eamque certam et propriam habeat significationem. Verum optimus et praestantissimus quicumque cantus ad varium sensum variumque verborum contextum adhiberi commode potest. Cujus rei non desunt exempla luculentissima*). Neque mi-

*) Exemplo sit magnus ille Haydn, qui, cum Jaegerus ad cantum quendam illius alia cecinisset verba, haec grato animo summaque laude excipiens prioribus verbis longe praetulit iisque substituit. Vid. Oeuvres de J. Haydn Cahier VIII, N. XIII. Sym-

randum hoc esse censeo. Est enim haec mentis humanae conditio, ut, quaecunque vel cogitat, vel iudicat, vel concludit, ea ad maximam, quae fieri potest, evidentiam claritatemque adducere debeat. Quare et sermonem, hunc necessarium ipsius intercessorem, ad eandem evidentiam et claritatem elaboravit. Ab animo autem quae sentiuntur vel cupiuntur, ea minus distincta sunt et definita, sed multo magis inter se conveniunt et quasi confluunt. Unde fit, ut vocis usus, utpote animi interpres, non nisi obscurior atque incertior esse possit. Caeterum voci eo, quod minorem in se habet perspicuitatem atque claritatem, multum quidem deficere videtur; attamen ab altera parte ipsius usus eo uberius simul est et locupletior, quia, quo latior cujusque modulationis est sensus, eo major quoque est exprimendi varietas atque libertas.

pathie: *Wie lieb' ich* —. Ita Hassii, Salieri, Mozarti operibus musicis alia et fere diversissima substituta sunt verba, quae nihilominus rei aptissima esse nemo negabit. Quid, quod Jo. Ad. Hillerus, vir ingeniosissimus et tam in rebus musicis quam poëticis valde excellens, ad Hassii cantum scenicum verba pepigit sacro loco canenda. Nec non quotidie in aedibus divinis variae ad eundem modum cantari solent cantilenaë.

Quanta vero est vocis facultas, quanta vis atque potestas, siquidem omnia ejus comprehenduntur discrimina, quae canendi notionem latiori sensu constituunt. Huc enim refero non solum eam modulationem, quae spectat ad sonorum gravitatem vel adscendentem vel descendente[m], sed qualemcunque vocis usum canorum, exactum atque ex animo ipso prodeuntem, quemadmodum saltando non ille pedum tantummodo intelligitur motus, qui fieri solet ad certam aliquam normam certosque sonorum numeros atque modos, verum quicumque corporis gestus habilior atque venustior. Quae quidem canendi complexio omnis consistit hisce momentis. Primum nempe animadvertenda est ea sonorum vicissitudo, ubi varii soni, modo graviores, modo acutiores deinceps sese invicem excipiunt. Hac sonorum vicissitudine, siquidem satis inter se cohaerent, efficitur melodia, cui opposita est harmonia, ubi sonorum plures, iique convenientes, audiuntur una, ita, ut constet harmonia ex complurium, trium nempe vel quatuor, sonorum consensu (Akkord). Quamquam vero melodia et harmonia eo, quod haec unius momenti, illa procedentis temporis est, sibi invicem opponuntur, arctissima tamen necessitate inter se cohaerent, quoniam utraque utramque adjuvare debet atque augere. Namque melodia,

utpote quae ad harmoniam sese habet, tanquam vita hominis unius ad universi mundi consensum, ab harmonia sustentanda est atque confirmanda, sicuti haec a melodia completur et exornatur. Et quemadmodum mundi seu macrocosmi imago in hominis sive microcosmi natura refertur et repraesentatur, ita quoque harmonia in melodia ipsa continetur. Construitur enim quaecunque melodia ex harmoniae concentu (Ak-kord), vel mero et integro, vel mutilo sonisque vicinis repleto. Quodvis autem sonorum intervallum sensum quendam in se habet sibi proprium, qui tamen in aliorum intervallorum connexu ab his quodammodo modificatur inque unum aliquem totius melodiae sensum convertitur. Hemitonio v. c. querendi seu lamentandi vim inesse, nemo non sentiet; attamen, ubi alia subsequuntur sonorum intervalla, haec hemitonii vis singulatim non semper animadvertitur, sed in communem totius melodiae sensum solet abire. Ita fit, ut hac sonorum vicissitudine animi affectionem tradere et imitari possimus.

Reliqua canendi momenta posita sunt in varia ratione numeri, celeritatis et fortitudinis. Numerus (Takt), qui in re musica idem est, quod in poetica metrum, permultum valet ad cantus cujuscunque vim atque

indolem. Quemadmodum enim metrum quodque sua sibi habet carminum genera, quibus maxime fit accommodatum, ita quoque ad alium quemcunque cantum alius eligendus est numerus, cui prae caeteris respondeat. Quare nihil ineptius nihilque magis absurdum esse arbitror, quam si qua melodia ex proprio et genuino ipsius numero transfertur in aliam, uti per hominum temeritatem haud raro fieri solet.

Neque minoris momenti est varia canendi celeritas. Multum enim interest, sive celerior, sive tardior sit canendi modus, quia inde pendet cantus cujusque effectus. Spectat autem haec ad variam affectionum exprimendarum alacritatem atque vehementiam, quae quo major est, eo majori opus est celeritatis gradu; quo mitior autem quoque lenior est cantus affectio, eo lentior esse debet canendi modus. Quare sedulo curandum est, ut celeritas in canendo adhibeatur justa et conveniens, nisi deperdere vis omnem omnino effectum. Magni denique ponderis est varia vocis fortitudo, quippe quae in canendo tantum valet, quantum in arte pictoria luminis umbraeque dispositio. Eo autem non solum intelligo vocem simplici et aequali modo vel contentam vel submissam, sed potissimum eam istius moderatio-

nem aptam atque prudentem, quae ab Italis dicitur portamento, ubi nempe vocis vis sensim sensimque pro rei natura modo accrescit modo decrescit, sicuti pictores lenem amant luminis umbraeque transitum. Quae quidem vocis moderatio tanti pretii habenda est, ut ea jam sola cognoscere liceat, si quis canendi sit bene peritus. Huic enim tanta debetur sonorum efficacia, ut qui ex intimo animo ipso provenire videantur. Quare ab optimo quoque cantu abesse vix et ne vix quidem potest.

Ex his igitur momentis omnis omnino canendi notio constituitur. Mirandum vero est, quantum discriminis intersit inter varia canendi genera. Quantum enim interest inter sacrum canendi modum atque scenicum, quantum ab his differt militaris et saltatorius. Tanta est sonorum vis ad varias diversissimasque animi affectiones exprimendas atque distinguendas. Quid, quod quisque fere populorum suum sibi habet canendi modum proprium ac peculiarem, non quod alia iis esset sonorum significatio, haec enim usquequaque sibi est constantissima, sed quia cantus, utpote fidelis animi interpret, ad universum cujusque populi animorum ingenium effingitur et accommodatur.

Caeterum, quod supra jam commemoravi, ad canendi notionem latiori sensu non eum tantummodo cantum referendum esse censeo, qui fieri solet ad certos quosdam sonorum numeros atque modos, sed qualemcumque vocis usum elegantio-rem, ubi nempe vox ad exprimendum animi sensum adhibetur suaviter, apte et expedite. Quae quidem canendi ratio ipsi sermoni vulgari et quotidiano inesse potest atque debet; eo enim verborum vis majorem in modum augetur et exornatur. Maxime vero necessaria est oratoribus quibuscumque. Etenim sive sacra, sive forensis, sive scenica sit oratio habenda, laudabilis esse non potest sine hac vocis elegantia.

Haec habui de psychica vocis ratione monenda; quae, siquidem res ita tulisset, amplius quidem atque diductius potuissent elaborari, huic tamen spatio atque consilio sufficere videntur.

Theorie der Stimme

von

Dr. K. F. S. Liskovius,
ausübendem Arzte in Leipzig.

Mit einer Kupfertafel.

Leipzig,
bei Breitkopf und Härtel.

1814.

370710 906 97700 2

Dr. J. G. ...
...

...

...

V o r r e d e.

Zu einer Zeit, wo das Studium des Gesanges so allgemein und so angelegentlich betrieben wird, wie in unsern Tagen, muß um so mehr daran gelegen sein, das Wesen der Stimme genauer kennen zu lernen, und über ihre Entstehung einen richtigen und deutlichen Begriff zu erhalten. Wirklich fieng man seit einiger Zeit an, dieß Bedürfniß allgemeiner und dringender zu fühlen. Lehrer und Liebhaber des Gesanges suchten überall nach Aufklärung über diesen wichtigen Gegenstand, doch immer ohne Befriedigung. Denn das Meiste, was sich darüber vorfand, war in der Hauptsache theils unvollkommen und mangelhaft, theils geradezu falsch und irrig. Vorzüglich verlegen war man wegen des merkwürdigen Unterschiedes zwischen Brust- und Fistelstimme; denn hierüber fand man nirgends Auskunft, ja kaum einige Erwähnung.

Ich bin daher seit geraumer Zeit darauf bedacht gewesen, theils durch Nachdenken, theils durch zweckmäßige und sorgfältige Versuche das Wesen der Stimme überhaupt, und insbesondere den Grund des letztgedachten Unterschiedes zwischen Brust- und Fistelstimme zu erforschen. Ist mir dieses, wie ich hoffe, gelungen, so wird es nicht unwillkommen sein, wenn ich das Resultat meiner Forschungen öffentlich mittheile. Zuerst ist dieses geschehen in meiner lateinischen Inauguralschrift, welche den Titel führt: *Dissertatio physiologica sistens theoriam vocis*. Um aber meine Forschungen über diesen Gegenstand, so wie er es verdient, gemeinnützig zu machen, habe ich dieselbe mit einigen nothwendigen Abänderungen in die deutsche Sprache übertragen, woraus gegenwärtige Abhandlung entstanden ist. Denn da diese Abhandlung vorzüglich zur Belehrung aller Freunde und Liebhaber des Gesanges bestimmt ist, so habe ich demzufolge nur Dasjenige beibehalten, was dem Bedürfnisse desselben entspricht, Vieles aber übergangen, was hiezu eben nicht nothwendig schien.

I. Vorbegriffe. Töne.

